Quaestio Cardinal. agit.da in Scho. Med.rum die Jovis pridie Cal. April.

Guillelmo Lusson Moderatore.

Confertne Paralyticis Venae sectio?

213

Anima tribus facultatibus nostrum corpus regit, quas opifex sedibus ipsa seclusit, ut naturalis principium in ventriculo posuit; vitalis in corde, animalis in cerebro communis sensus et intuitus. Animae facultates per totam cerebri substantiam diffusae sunt, neque sedibus ita distingui debent ut anima in anteriori parte cerebri imaginetur, in medio discurrat, in posteriori recordetur, quandoquidem in unaquaque cerebri particula singula cogitata meminit. Quid autem cerebrum non sentiat, praestat nihilominus influxu et irradiatione, ut caetera membra sentiant, tractabiliumque qualitatum differentias discernant.

Cum sentiendi et movendi facultates sint differentes, quoties instrumentis diversis operantur, animaque sentit per nervum mollem, movet per durum qui a spinae medulla oritur, uno insolutum alterum perire non est necessarium, sed cum per eundem nervum sentiat simul et moveat, eo male affecto unum deperire altero integro quis non admiretur. Utroque simul vel alterutro duntaxat imminuto stupor, abolito paralysis nominatur, quae vera et exquisita sit motus et tactus privatio.

Paralysis a convulsione non tantum intensione, sed toto genere distincta, vel est primaria, vel alteri morbo succedit, ut paraplegia, ἡμιπληγία, apoplexiae et epilepsiae. Illa autem est particularis cum una tantum pars resolvitur, aut universalis cum in toto motus et sensus abolentur, quae propter sublatam respirationis usum acutissima est et funestissima, adeoquidem diutius non vivunt quam qui strangulantur, hocque solo differt ab apoplexia quod sub generali paralysi principes functiones manent quae abolentur apoplexia. Isti valde affinis est, nec minus lethalis quae initium spinalis medullae occupat, solum enim caput sentit et movetur reliquo corpore resoluto. ἄπνοια et ἀφωνία nec non caeteris particularibus periculosiores.

Efficiunt paralysim quodcunque animalis facultatis commeatum impedium. Illa enim non est insita parti ut naturalis, sed a cerebro per nervum tota confluit, etiam spiritu nullo vectore. Impedimentum vero ne anima affulgeat quodcunque nervum dividunt, constringunt aut obstruunt. Dividitur a causa violenta. Constringitur frigore, aut aliquo comprimente. Obstruitur non tantum a pituita, sed ab alio quovis humore sanguine, et utraque bile, quin etiam a crasso flatu. Intemperies quoque nuda calida et sicca nonnunquam membrum resolvit. Denique ut opacum aerem non potest permeare solis radius ita per nervum incisum, constrictum, pressum, obstructum, induratum, emollitum dum non affulget anima membrum resolvitur.

Corpus praescriptis non semel catapotiis, potius quam potionibus purgandum, humore diligenter praeparato. Caput errhinis apophlegmatismis, fotu, litu, pyroticis depellendum et roborandum ut fons exhauriatur. Alterantibus tam sumptis quam admotis spiritui nervalibus humor obstruens resolvendus. Remollitus nervus diaeta, thermis, aut balneis sulphureis resiccandus. Resiccatus humectetur. Denique intemperies nuda contrariorum usu corrigatur. Topicum non tam resolutae parti quam origini nervorum affigendum, de parte sana potius quam affecta sanguis detrahatur, parca potius quam liberali manu, nisi insignis sit plenitudo, aut febris coniuncta, aut a contusione, ictu, casu originem ducat. Sic enim humor paratus fluere retinetur.

Confert igitur venae sectio Paralysi.

Deffendebat Joannes Renou Constantiensis 1588.